



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe
Condita Ad Reductam**

**Gudenus, Johann Moritz von
Erfurti, 1675**

Ad Serenissimum Electorem Saxoniae Joannem Georgivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Longævnūmq; refert nūmerosā dote Parentem
„ Phœnix , in terris unica semper avis.
Talem cura dedit , Teq; ætas fessa PHILIPPI
Rebus , LOTHARI Maxime , Moganicis.
Ille Pater Patriæ meruit , columenq; vocari:
Vive diu , de Te sentiet orbis idem.
Esse homini mites , proprium fecere sibi Dī:
Parte hac æternos æquat uterq; Deos.
Emicat ambobus placata modestia vultu,
Fragantesq; genæ , dignaq; forma Deo.
Ipse locas patriæ , somnos velut ille locavit ,
Quamq; aliis præstas , est Tibi rara quies.
Bella alter domuit toties , pacemq; reduxit ,
Haudq; alium Martis sic petit ira virum.
PACIFICI hinc retulit pacato nomen ab orbe;
Es quoq; Tu , & nomen , † PACIS AMATOR , habes.
In primis , velut alter , habes cœlestia curis ,
Plusq; animâ populum Tu , velut alter , amas.
Omnia cum teneas magni , FRIDERICE , PHILIPPI ,
Ut numeres annos , curia , plebsq; vorcent.
†Fridericus , quasi Friedenreich Germanis.

*Ad Serenissimum Electorem Saxoniae JOANNEM
GEORGIVM*

MAgna Ducum soboles , nostro Dux celior ævo ,
Quem manet æternæ posteritatis honos.
Mens interrita cui Proavos testatur OTHONES ,
Damnisq; aut lucro non temeranda fides.
Per laudes conansq; Tuas , perq; ire Tuorum
Deficiam ; numero copia major erit.
Tē sacro fudisse sinu Themis alma videtur ,
Et quæsisse Tuis perfugium Laribus.
Haud Gnatæ amplexu per Te est abterrita Mogus ,
Justos claudentem ad turpia lucra sinus.
Hoc est Astræam sceleratis reddere terris ,
Dicare ut major laudibus , hoc satis est.

Nam

Nam donat Juri sperata ubi commoda virtus,
Emerita est, & vix altius ire potest.

*Ad Generosissimum Dominum JOANNEM HENRICVM
DANIELEM L.B. A RIDDER IN GROEN-
STEIN Erfordie Vicedominum.*

Certa salus magnæ, quā frenas legibus, urbis,
Quod non est, armis quam peperisse, minus,
Quæ Te digna canam? vincis fastigia laudum,
Nec sine fatidico Numine nomen habes,
Vix virtute minor DANIEL DANIELE, sagaci
Qui quondam impuros subruit ore senes.
Parvus erat, rexq; altam DANIEL Babylona,
Canaq; in imberbi mens DANIELE fuit.
Arboris hic idem statuæq; oracula pandit
Regibus, infaustæ trinaq; verba manus;
Ingenium & cœlestè Tibi velocius annis.
Venit, & Imperiis utile consilium.
Illiū inter erat virtus secura Leones,
Innocuo abstinuit sanguine tanta famæ!
Cedere Thuringo fac dentem irasq; Leonum,
Te, DANIEL, rerum præside, mitis erit.

*De Generosiss. Dno PHILIPPO CASPAREO L. B. de BIK-
KEN, Archisatrapa Eichsfeldie Glande ferreâ læso in
obfidence Erfordiensi.*

Viderat è specula multum caræ urbis Enyo
Insignem geminâ Palladis arte Virum,
Mille Deæ diræ qui vicerat haëtenus artes,
Et procul Eichsfeldo fecerat esse solo:
Viderat, & cedes Furiarum, Eichsfeldia, regno,
Si nostrâ jaceat fraude PHILIPPUS, ait.
Protinus induiturq; habitus & militis ora,
Ars cui mentiri fulmina sæva Jovis.
Et ferro legitur scelerato meta, PHILIPPUS,
Quo minimè castris Justior alter erat.

† † 5

Heu